

munibus ipsorum votis ac suffragiis unanimique consensu, pro conseruatione et tranquillitate eorundem Statuum ac Ordinum conclusos, summeque necessarios, et ipsi duntaxat deseruientes; humili cum subiectione supplicantes, quatenus Nos universos eosdem Articulos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, iisdemque Regium consensum nostrum praebentes, Regia autoritate nostra elementer acceptare, ratificare, approbare, roborare, et confirmare, ac tam Nos obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, obseruari facere benigne dignaremur. Quorum quidem Articulorum, praeuio modo conscriptorum et concinnatorum, tenor talis est.

Articuli Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae Regnorum, ab Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo tertio usque ad annum Millesimum Sexcentessimum Octuagesimum primum, in diversis eorum Congregationibus Generalibus conclusi.

Articulus Primus 1643.

Quoniam Vice-Comites et Iudices Nobilium Comitatum in faciendis contra malefactores inquisitionibus minus diligentes sese frequentius exhibuerint, statutum est: ut iidem Vice-Comites et Iudium deinceps Articulum quartum horum Regnorum superinde editum, et per Maiestatem Sacratissimam in anno Domini 1635 confirmatum, perquam diligenter obseruent. In capiendis vero ex mandato Domini Comitum Bani, aut etiam in certis casibus Vice-Comitum, malefactoribus, penes Iudices Nobilium Nobiles unius Sessionis, sub poena florenorum duodecim, irremissibiliter exigenda, assurgere et proficisci teneantur et sint obligati.

Articulus Secundus 1643.

Conclusum etiam est: ut nemo Dominorum Magnatum et Nobilium ante vel ad ipsum festum Beatae Catharinae Virginis et Martyris, quolibet anno venturum, mel emptum, vel propriae allodiaturae, ad Civitatem Petoviensem, vel alio, extra Regni limites, quo hactenus ad partes Christianitatis divendi consuevit, sub ammissione melis eiusdem, ac iuxta priores Articulos in contrabandam convertendi, evehere et educere andeat, tam diu, donec per Dominum Banum vel eius Vicesgerentem, in Styriam vel alio, quo mel vendi commode poterit, exmittendi de Regno Commissarii, quos ipsi deligere et ordinare placuerit, educendi deinceps melis cum mercatoribus pretium non constituent, et illud eidem Domino Comiti Bano, vel eius Vicesgerenti non denuncient; quo tandem facto praemissa eductio cuius Dominorum Magnatum et Nobilium libera manebit.

Articulus Tertius 1644.

De inductione et educatione militum, renovantur Articuli superinde conditi, et ut imposterum nemo sine praescitu Domini Comitum Bani inducere vel educere milites praesumat, decernitur; alioquin idem Dominus Comes Banus in contrafacientes sua autoritate absoluta utatur.